possit, saluâ semper existimatione et debitâ perpetuò patriæ fide. Tu vir Optime, qui pro insigni humanitate ac candore tuo capis ista quà capi decet, plurimum a me salue ac vale. Hagæ Com: quò me adversa valetudo ad tempus compulit, nunc Dei beneficio in melius versa, ut breui Principem reuisurus sim v. Non: Sextil: CIƆIƆCXXXIII.

(181)

Wendelino

Quæ de latitudine Byzantii pridem ad me Golius perscripserat diu est, mi Wendeline, cum exscripta manu meâ acceperis nisi me amici fallunt, quorum curæ literas curiosè commiseram. Quæ Legatus Ordinum, ipsius manu hic habes. Consenuerunt illæ literæ partim itineris longi intervallo partim occupationum mearum frequenti turbâ, partim denique, cui postquam ad sextam ferè septimanam Hagæ vacaui, nunc demum ad exercitum reuersus. Libero me hoc tam vetusto nomine dum in propinquo sumus, et spatio non nimis grandi Eburonibus amicis salutem mittimus. Hâc Deum rogo longâ et continuâ utaris, ut quorum diu saliuam Orbi literato moues, tandem sane videant præstantissimi ingenii tui partus immortales, nec posthumi aliorum curâ produci necesse habeant. Quod te Reipublicæ causâ ne committas rogo et item tuâ. Meâ semper, ut me ames. Leendæ in castris 7. Id: Sept. CIƆIƆCXXXIII.

Tuus.

C. H.

Wilmio, affini.

(182).

De Felici nuncio duplici itinere ad me misso, plurimum tibi, frater optime, debeo: sed parum cæteris amicis, quorum ab illo tempore nemo est, qui tribus verbis indicare dignatus fuerit, quo loco res sint ~~puerperæ meæ~~ charissimæ puerperæ meæ vel infantis, qui hodiè tertiam septimanam mortalibus interest. Tibi siquid otij superest, in proposito persistas rogo, et quocumque loci concessero (cras enim hinc discedimus) persequare me literulis, quæ si valere meos significaverint, etiam in parcissimos characteres contractæ, amplissimarum loco erunt. Vale. Raptim Neomagi 26. Octob: 1633.

J. Vander Burgh.

J. Vander Burgh.

C. Hugenius. S.

(183)

De Coenio quæ proponebas nihili sunt. ille enim hactenus in vivis est. et verò si ille desierit nihili sint illa tamen

ob

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 59r
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/841